

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

CXLI.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

tim toto pectore oro, ut te Ecclesiis suis quam diutissime incolumem & florentem conservet, & nos in tumultibus & miseriis nostris benigne & clementer tueatur. Bene & feliciter vale. Rostochii, VII. Calendas Julias, Anno à nato JESU CHRISTO, M. D. LXXIII.

*Tua Reverentia addictissimus*

Simon Pauli.

CXLI.

*Salutem in Salvatore.*

**A**Ntequam ad tuas, quas mihi Schertius noster reddidit, respondeam, Vir Reverende, frater in Christo honoratissime, primò omnium tibi reverenter & officiosè gratias, quas possum, maximas ago, pro insigni illa tua benevolentia & humanitate, qua uxorem meam, unà cum duabus filiabus, excepisti, tractasti, dimisisti. Et vicissim tibi & tuis omnibus non tam studia quam officia mea animo candido & offero & defero. Utinam daretur occasio, animi mei gratitudinem in consumilibus aut aliis officiorum generibus erga te tuosque declarare. Intelligeres reipla, te tuam in hominem minimè ingratum collocasse. Jam ad tuas ordine respondebo.

Et primò quidem mitto ea, quæ superioribus diebus Doct. Rulandus ex vicinâ Lauingâ ad me misit. Citius sanè, si tabellarium nactus essem, misissem. Interea spero, me à vobis accepturum exemplar ejus scripti, quod sub prælo est, in renumerationem, & sumptuum & laborum meorum.

Deinde, non opus est, ut Reverendi collegæ & fratres tui, mihi gratias agant. His enim paratus sum, in longè gravioribus fraternè inservire. Tu eos vicissim universos & singulos amanter & officiosè salutabis.

Tertiò stipendiarii nostri, sicuti hæctenus, mihi & deinceps erunt commendatissimi. Tandem accipies simul literas ab Hagio nostro, quibus dies nuptiarum tibi & genero tuo significatur. Ad hæc addo aliud nihil, nisi quod mihi planè persuasi, Te, mei causa compariturum, sicut ego certè hanc professionem, Tui potissimum causa, volente Domino, suscepturus sum, ut habeam occasionem de rebus multis copiosissimè tecum conferendi.

Nova apud nos, de Principis Urania exercitu cæso, & Harlemo deserto tristitia sanè sparguntur. Verum claudicantem nuntium semper expectare soleo. Uxor mea, quæ sana & obarsa fatis ex thermis advenit, Te, tuamque officiosè salutari jussit.

Clarissimum D. D. Marbachium, meis verbis amanter & officiosè salutabis, Ad quem ut scriberem, absteruit me Invectiva Sturmii, contra ipsum conscripta, quam

his diebus vidi & legi, de qua quid cogitare debeam aut possim, taceo scribere; ingenuè fateor, me ignorare. Nihil certè per dies vitæ legi magis odiosum. Et cum non dubitem, Viro optimo atrocissimam fieri injuriam, pergratum mihi feceris, si vel tu, vel ipse D. D. responsum ad eandem Inclyto Magistratui vestro oblatum ad me miseris. Hoc ego utar modestissimè, ad informandos eos, qui nescio quæ de Viro tanto sinistra conceperunt. *Ich spring schier aus der haut/ wann ich gedenc/ daß man ein Ehrnbiderman so schändlich soll verkleinern und verachten.* Et malui nihil ad eundem scribere, quam vel nimium, pro ut exacerbatus sum, vel non sufficientur, prout atrocitas hujus rei postulat. Miror, imo demiror, quo genio Sturmius (aliàs mihi Præceptor observandus) ad inauditam & eo indignissimam Invektivam sit compulsus. Verum dabitur occasio in nuptiis Hagii hac dere coram conferendi copiosius. Benè ergò & feliciter cum omnibus tuis interea vale. Raptim Ulmæ, 24. Julii, Anno 73.

T. totus

Quem nosti.

( A Rabo ad Flinnerum scripta. )

CXLII.

*Salutem in Christo. Reverende & Clarissime vir,**Domine & frater charissime.*

**H**umanitas tua summa facit, ut te officiis onerare audeam. Civis senatorii ordinis Ellingæ est, dives & egregius Musicus, studiosorum summus fautor, tibi optimè notus, Johannes Rorerus. Is cupit ad vos mittere filium, ut piè instituatur, & ita ad reliquarum artium studia excitetur, ne interim Musicam prorsus negligat. Ea in parte te officium optimo Viro præstiturum, quod sperat, nihil dubito. Spem mihi minime dubiam faciunt literæ D. Pappi ad ipsum scriptæ. Denckendorfsen Præpositum non ingratum senties, pro quo nuper etiam intercessi. Heshulium audio mihi amicum factum per sex conciones nuper editas, de qua re audio ad vos per scriptum. Sed loco illius novum furiosum hostem sum adeptus, Illyricum, qui adversus me edidit duas pagellas, cui nolo respondere. Est enim furiosus, erroris & impietatis convictus. Qui ne errasse videatur, cælum terræ miscere conatur. Ego procedam in communi negotio Concordiæ, cujus causa nuper mihi demum Dux Julius scripsit, ut prius conficiam, quam ipsum denuo accedam. Et offerunt suam operam D. D. Kemnitius, Heshulius, Wigandus & Saxonix Ecclesiæ omnes. Ea in re me quoque juvabis. Petunt enim ut in propositiones redigam,

Nnn 2

quæ